

tentiæ insistere, antesignanis religionum præcipere non cessa-
bat, ne quidquam in subsidium pecuniæ erogarent; quo fie-
bat, ut Clementis acerbitatem, durumque nimis in Rempu-
blicam animum conquererentur. Sed nihil ob id Senatus ani-
mo frangebatur; quinimmo majori sedulitate, quæ ad sumptus
necessaria forent, comparabat, ne ulla in re populis, provin-
ciisque sibi subjectis deesse videretur. Itaque Vincentius Ca-
pellius imperator declaratur; viginti triremes reliquis adjiciun-
tur, quas in Dalmatiæ provincia, Corcyra, Zacyntho insulis,
& Cretæ regno instrui Senatus jussicerat, ut universa classis se-
xaginta triremium numero constaret. Legatus Hieronymus Ca-
nalis eligitur; nam Franciscus Paschalicus tunc alterius legati
munere fungebatur. Capellio Senatus mandat, ut maritimis
Reipublicæ oris, atque oppidis opem ferat, ne quid subditis,
illorumque rebus detrimenti inferatur, provideat. Verumtamen
nulla in re aut Cæsareanæ, aut Turcicæ classi conatibus obsi-
stat, vel faveat; utrisque se amicum præbeat; a portibus
minime prohibeat, commeatus importari sinat, non arma, ce-
teraque alia instrumenta bellica. Hæc classis imperatori in
mandatis data fuere.

Cum autem Suleimanus Pannonicæ expeditionis consilia,
quæ diu in animo versaverat, perficere vellet, ut Venetos si-
bi conciliaret, in illos haud vulgaria benevolentia signa édi-
dit, cogitationibus iis relictis, quibus antea, ut Byzantii em-
porium augeret, illuc aromata, atque omnis generis mer-
ces convehi jussicerat; ex illius ditionibus frumenta, tormen-
tariumque pulverem asportandi concessa facultate. Omnibus
que itineri necessariis comparatis rebus, Byzantio profectus,
Hadrianopolim pervenit, bellum Pannonicum indixit; ac quam-
plurimis undique ad exercitum confluentibus, cum ad Hun-
gariæ fines pervasisset, ad centum & quinquaginta millium
peditum numerum copiæ accesserant, quarum robur prætoria-
ni milites, quos *Janizzeros* Turcæ vocant, ad viginti millia
erant. His fretus nihil sibi obsistere posse ratus, quin quacum-
que pervasisset, cuncta victoriis, ac triumphis cumularet; cum
ab Albam Græcam substitisset, cum Cæsare acie configere se
velle per exercitum vulgaverat, in tumidam spem erectus, si
committere prælium vellet, haud dubia se victoria potiturum.

1532

*Venetorum
sedulitas ad
pecuniæ co-
parandam.*

*Vincentius
Capellius
classis impe-
rator eligi-
tur, & tri-
remium nu-
merus auger-
atur.*

*Hierony-
mus Cana-
lis, Franci-
scus Pascha-
licus classis
legati.*

*Suleimanus
ad bellum
Pannonicum
profici-
tur.*

At